

## ACTVS I

DAVOS

i

- 35 Amicu' summu' meus et popularis Geta  
heri ad me venit. erat eī de ratiuncula  
iampridem apud me relicuom pauxillulum  
nummorum: id ut conficerem. confeci: adfero.  
nām erilem filium eiu' duxisse audio 5
- 40 uxorem: eī credo munus hoc conraditur.  
quām inique comparatumst, î qui minus habent  
ut semper aliquid addant ditioribus!  
quod ille unciatim vix de demenso suo  
suom defrudans genium conpersit miser, 10
- 45 id illa univorsum abripiet, haud existumans  
quanto labore partum. porro autem Geta  
ferietur alio munere ubi era pepererit;  
porro autem alio ubi erit puero natalis dies;  
ubi initiabunt. omne hoc mater auferet: 15
- 50 puër causa erit mittundi. sed videon Getam?

GETA DAVOS

ii

*GE.* Siquis me quaeret rufu' . . . *DA.* praestost, desine. *GE.*  
oh

at ego obviam conabar tibi, Dave. *DA.* accipe, em:  
lectumst; conveniet numeru' quantum debui.

*GE.* amo te et non neglexisse habeo gratiam.

- 55 *DA.* praesertim ut nunc sunt mores: adeo res redît:  
siquis quid reddit magna habendast gratia. 5